



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

EASY GRADUATED
LATIN PASSAGES

FOR PRACTICE IN
UNSEEN TRANSLATION

BY
GEORGE L. BENNETT, M.A.

HEAD MASTER OF SUTTON VALANCE SCHOOL.


RIVINGTONS
WATERLOO PLACE, LONDON

MDCCLXXXIII


[Price One Shilling.]



600090186U







Elementary Latin Books.

GRADATIM. An Easy Translation Book for Beginners.

By H. R. HEATLEY, M.A., Assistant Master at Hillbrow School, Rugby, and H. N. KINGDON, B.A., Head Master of the Grammar School, Dorchester. Small 8vo. 1s. 6d.

EXCERPTA FACILIA. A Second Latin Translation

Book, containing a Collection of Stories from various Latin Authors. With Notes at end, and a Vocabulary. By H. R. HEATLEY, M.A., and H. N. KINGDON, B.A. Small 8vo. 2s. 6d.

FIRST STEPS IN LATIN. By F. RITCHIE,

M.A., late Assistant Master in the High School, Plymouth. Crown 8vo. 1s. 6d.

THE BEGINNER'S LATIN EXERCISE

BOOK. Affording Practice, Oral and Written, on Latin Accidence. With Vocabulary. By C. J. SHERWILL DAWK, B.A., Lecturer and Assistant Chaplain at St. Mark's College, Chelsea. Crown 8vo. 1s. 6d.

LATIN TEXTS. For use in Schools, etc. 18mo.

THE AENEID OF VERGIL. Books I. II. III. IV.

V. VII. VIII. IX. 2d. each. Books VI. X. XI. XII. 3d. each.

THE GEORGICS OF VERGIL. Books I.-IV. 2d. each.

THE BUCOLICS OF VERGIL. 2d.

Vergil. The Bucolics, Georgics, and Aeneid in One Volume. 2s. 6d.

CAESAR DE BELLO GALLICO. Books I. V. VII.

VIII. 3d. each. Books II. III. IV. VI. 2d. each.

Caesar De Bello Gallico. In One Volume. 1s. 6d.

BY GEORGE L. BENNETT, M.A.,

Head Master of Sutton Valence School.

FIRST LATIN WRITER. Comprising Accidence, the Easier Rules of Syntax, illustrated by Copious Examples and Progressive Exercises in Elementary Latin Prose. With Vocabularies. 3s. 6d.

FIRST LATIN EXERCISES. Being the Exercises, with Syntax Rules and Vocabularies, from a "First Latin Writer." 2s. 6d.

LATIN ACCIDENCE. From a "First Latin Writer." 1s. 6d.

SECOND LATIN WRITER. 3s. 6d.

EASY LATIN STORIES FOR BEGINNERS. With Vocabulary and Notes. 2s. 6d.


SECOND LATIN READING BOOK. Forming a continuation of "Easy Latin Stories for Beginners." 2s. 6d.

SELECTIONS FROM CAESAR. THE GALLIC WAR. With Preface, Life of Caesar, Text, Notes, Geographical and Biographical Index, and Map of Gaul. 2s.

SELECTIONS FROM THE AENEID OF VERGIL. With Introduction, Notes, etc. 1s. 6d.

EASY GRADUATED
LATIN PASSAGES

BENNETT



EASY GRADUATED
LATIN PASSAGES

FOR PRACTICE IN
UNSEEN TRANSLATION


BY
GEORGE L. BENNETT, M.A.

HEAD MASTER OF SUTTON VALENCE SCHOOL

RIVINGTONS
WATERLOO PLACE, LONDON

MDCCLXXXIII

305. g. 195.



PREFACE.

THE following selection of Easy Passages for practice in unseen translation has been compiled from papers set at Rugby, Clifton, Marlborough, etc., at entrance and scholarship examinations. It is hoped it will be found suited for preparing candidates for the local examinations as well as for the public schools.

It is often the practice to give the meaning of the harder words ; but this I have left to the discretion of the master, as he will have to deal with boys of different degrees of proficiency.

GEORGE L. BENNETT.

SCHOOL HOUSE, SUTTON VALENCE,

May, 1883.



PART I.

1. Fugiamus omni spe salutis amissa.
2. Metuo ne vos hoc faciatis.
3. Catilina urbem reliquit, mox cum pluribus rediturus.
4. Narrabo quid audiverim ut intelligatis quanta vobis calamitas immineat.
5. Metuo ut eadem facturus sis quae antea.
6. Monuit puerum ut bonis exemplis uteretur et malos socios vitaret.
7. Dixit eum solum posse alios regere qui ipse suo animo moderari posset.
8. Audimus te brevi venturum esse neque longe ab urbe abesse.
9. Anne novi quid habes? Alium pete: nil ego novi.
10. Duodequadragesima annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, cum quinque et viginti annos natus regnare coepisset.

-
11. Non sinam ut dolor corporis efficiat ut frustra tantus vir ad me venerit.
 12. Si nossem causam, crederem vera hunc loqui.
 13. Profectus ex hibernis exercitum in Etruriam ducere conatus est.
 14. Hic vincendum aut moriendum est, milites.
 15. Haec nuntianti respondit, se facturum esse id quod necesse esse videretur.
 16. Commotus ira omnes Octavius interfici iussit.
 17. Dixit Cato præclarum esse iis, qui haberent aurum, imperare.
 18. Consul lictores turbam summovere iubet.
 19. Si legibus paruisset, non exsul fuisset Alcibiades.
 20. Cum epistolam scripsero, ex te quaeram, quid de ea censeas.
 21. Nobis licet esse beatiss.
 22. A te liberatus sum aere alieno.
 23. Venditori expedit equum venire quam plurimo.
 24. Suum cuique tribuito.
 25. Parentes filium sepeliendum curaverunt.
 26. Epaminondas ferrum in corpore retinuit, quoad renuntiatum est vicisse Boeotios.
 27. Dictator præcones edicere iubet ut ab inermi absteineatur.
 28. Ego Q. Fabium, senem adulescens, ita dilexi ut aequalem.

-
29. Inducta cornibus aurum victima vota cadit.
 30. Laudat Africanum Panaetius quod fuerit abstinens.
 31. Haud equidem tali me dignor honore.
 32. Arbores seret diligens agricola, quarum adspiciet baccam ipse nunquam.
 33. Scribebat Aelius orationes, quas alii dicerent.
 34. Cuniculus delectis militibus eo tempore plenus in aede Iunonis, quæ in Veientana arce erat, armatos repente edidit.
 35. Ne plus iusto dolueris.
 36. Multum interest quos quisque audiat quotidie.
 37. Non meum est statuere quid cuique debeas.
 38. Ut quisque est vir optimus, ita difficillime alios esse improbos suspicatur.
 39. Legati proficiscantur : bellum nihilo minus paretur.
 40. Victoriam hosti extorqueamus, confessionem erroris civibus.
 41. Multis ille bonis flebilis occidit : nulli flebilior quam tibi, Vergili.
 42. Quo audito rumore, consul receptui cecinit.
 43. Pythagoras Superbo regnante in Italiam venit.
 44. Fretus intelligentia vestra brevius dissero.
 45. Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam ut caecus esset.

46. Ipse Cicero, cum tenuissima valetudine esset, ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat.

47. Quid est levius aut turpius quam auctore hoste de summis rebus capere consilium?

48. Nullam sacra vite prius severis arborem.

49. Testis ab reo fustibus vapulavit.

50. Agesilaus statura fuit humili et corpore exiguo et claudus altero pede,

51. Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae.

52. Cuiusvis hominis est errare; nullius, nisi insipientis, in errore perseverare.

53. Malo ego mala mea bona quam mala frangere mala.

54. Nihil est magno et praeclaro viro dignius placabilitate et aequitate.

55. Educat hic catulos ut mox educat in apros.

56. Caninio consule scito neminem prandisse.

57. Quis dubitet, quin in virtute divitiae sint?

58. Primus liber Tusculanarum disputationum est de contemnenda morte.

59. Bruti iudicium, pace tua dixerim, longe antepono tuo.

60. Edocet quanto detrimento et quot virorum fortium morte necesse sit constare victoriam.

61. Decrevit senatus, ut consules viderent, ne quid respublica detrimenti caperet.

62. Suebi non multum frumento sed maximam partem lacte atque pecore vivunt.

63. Ipsum consulem Romae manere optimum visum est.

64. Inde crebrescere rumor regem urbe vi potitum, et in incolas saeviri.

65. Parum afuit quin capitis damnaretur.

66. Catilina admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae.

67. Nulla videbatur aptior persona quae de senectute loqueretur quam Catonis.

68. Fuit antea tempus cum Germanos Galli virtute superarent.

69. Adulescentium greges Lacedaemone vidimus ipsi incredibili contentione certantes, cum exanimarentur prius quam victos se faterentur.

70. Erat inter Labienum atque hostem difficili transitu flumen ripisque praeruptis.

71. Consul, statione equitum ad portam posita, edictoque ut, quicumque ad vallum tenderet, pro hoste haberetur, fugientibus obstitit.

72. Brutum in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur.

73. Cantabit vacuus coram latrone viator.

74. Assentatio non modo amico, sed ne libero quidem, digna est.

75. Caesar cognovit per Afranium stare quominus proelio dimicaretur.

76. Nec tamen impedimento id rebus gerendis fuit.

77. Mihi quidem persuaderi nunquam potuit animos emori.

78. An si quis Hispanorum mille aut duo milia occidisset, eum imperatorem appellaret senatus?

79. Hoc eo facilius civibus persuasit, quod se mox rediturum esse pollicitus est.

80. Ab exploratoribus fit certior Gallos interfecto rege haud procul a castris abesse.

81. Caesar opinione celerius venturus esse dicitur.

82. Negabat, si affuisset, futurum fuisse ut urbs expugnaretur.

83. Non is es, Catilina, ut te pudor unquam a turpitudine revocarit.

84. Duo sunt genera liberalitatis; unum dandi beneficii, alterum reddendi.

85. T. Manlius Torquatus Gallum, cum quo provocatus manum conseruit, in conspectu duorum exercituum caesum torque spoliavit.

86. Omnia quae mulieris fuerunt viri fiunt dotis nomine.

87. Triste lupus stabulis.

88. Fallit saepe fretum placido nimis aequore fretum.

89. Parentes pueri faciunt gaudere parentes.

90. Caesar milites incusavit cur de sua virtute et de ipsius diligentia desperarent.

91. Propius quaedam subibant naves, quo interiores ictibus tormentorum essent.

92. Vadit in eundem carcerem Socrates, eodum iudicum scelere, quo tyrannorum Theramenes.

93. Saepe lapidum, sanguinis non nunquam, terrae interdum, quondam etiam lactis imber defluxit.

94. Profectus est id temporis cum iam Clodius, si quidem eo die Romam venturus erat, redire potuisset.

95. Itaque dum locus comminus pugnandi daretur aequo animo singulas binis navibus obiciebant et retenta utraque nave diversi pugnabant.

96. Desperatio est aegritudo sine ulla rerum expectatione meliorum.

97. Spartae pueri ad aram verberibus accipiuntur, nonnunquam etiam, ut, cum ibi essem, videbam, ad necem.

98. Ubi Varus restitit, et quis esset aut quid vellet quaesivit, Fabius humerum apertum gladio appetit, paulumque afruit, quin Varum interficeret.

99. Pyramides stant quinque, imae latae pedum quinum septuagenum altae centenum quinquagenum.

100. Tribuni militum non loco castris ante capto, non praemunito vallo, nec auspicato nec litato, instruunt aciem.

PART II.

HERCULES IN EGYPT.

101. Est huiusmodi fabula, cui veteres credidisse videntur. Hercules, cum in Aegyptum venisset, a populo comprehensus est, et mox vinctus ad aram Iovis abductus est ut ibi immolaretur. Et ille aliquamdiu se continuit, tantum rogans ut liberaretur, nec magnis suis viribus usus. Tandem vidit se interfectum iri, nisi eos, quorum in manibus esset, ipse interfecisset. Itaque ruptis vinculis magnam cladem circumfusae turbae edidit.

DEFEAT OF THE CARTHAGINIANS.

102. Lutatius consul finem bello imposuit. Ei in Siciliam adveniēti nuntiatum est, maximam classem ex Africa venire: erant autem viginti naves, qui commeatum ad exercitum portabant. Lutatius cum classe sua adversus eam properat. Nec longa fuit victoriae mora: nam omnes hostium naves brevi captae sunt. Ingens fuit praeda. Hostes victi pacem postu-

laverunt, quae eis hac condicione concessa est, ut certum vectigal per decem annos populo Romano penderent.

CONTRAST BETWEEN MAN AND LOWER ANIMALS.

103. Omnes homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa vi niti debent, ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae natura ventri tantum obedientia finxit.

BIRDS OF A FEATHER.

104. Servius Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habebat. Duo quoque Tarquinius Prisci filii longe dispares moribus erant. Tullia ferox Tarquinio miti nupserat; Tullia vero mitis Tarquinio feroci: sed mites seu forte seu fraude perierunt; feroces morum similitudo coniunxit. Statim Tarquinius Superbus a Tullia incitatus regnum paternum repetit.

THE BOASTER CAUGHT.

105. Homo quidam reversus in patriam, unde aliquot abfuerat annos, semper iactabat praeclara sua facta. Inter alia narrabat, in Rhodo insula se saltando vicisse optimos saltatores. Ostendebat etiam spatii longitudinem, quam praeter se nemo potuisset saltu superare. Tum unus ex amicis inquit, Hic Rhodum esse puta, hic salta.

WASTE OF TIME.

106. Vitium est, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias.

A SAYING OF CATO.

107. Cato dixit: Suo quemque uti et frui per me licet: mihi vitio quidam vertunt, quod multis rebus egeo: at ego illis vitio tribuo, quod nequeunt egere.

TARQUINIUS' END.

108. Tertio anno post reges exactos Tarquinius, cum suscipi non posset in regnum, neque ei Porsena, qui pacem cum Romanis fecerat, auxilium praestaret, Tusculum se contulit, quae civitas non longe ab urbe est, atque ibi per quatuordecim annos privatus cum uxore consenuit.

FABIUS' REPLY TO SALINATOR.

109. Tarentum vero qua vigilantia, quo consilio recepit? Cum quidem, me audiente, Salinatori, qui amisso oppido fugerat in arcem, glorianti atque ita dicenti: 'Mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti;' 'Certe,' inquit ridens; 'nam nisi tu amisisses, nunquam recepissem.'

DEVOTION OF THE FABII.

110. Caesone Fabio et Tito Verginio coss. trecenti nobiles homines, qui ex Fabia familia erant, contra Veientes bellum soli susceperunt, promittentes senatui et populo per se omne certamen implendum. Itaque profecti, omnes nobiles et qui singuli magnorum exercituum duces esse deberent, in proelio conciderunt. Unus omnino superfuit ex tanta familia, qui propter aetatem puerilem duci non potuerat ad pugnam.

HANNIBAL'S OATH.

111. Fama est etiam, Hannibalem annorum ferme novem, pueriliter blandientem patri Hamilcari, ut duceretur in Hispaniam, cum, perfecto Africo bello, exercitum eo traiecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris, iureiurando adactum, se, cum primum posset, hostem fore populo Romano.

CONTEMPT OF MERE BRUTE STRENGTH.

112. Nec nunc quidem vires desidero adolescentis, non plus quam adolescens tauri aut elephanti desiderabam. Quod est eo decet uti, et quicquid agas, agere pro viribus. Quae enim vox potest esse contemptior quam Milonis Crotoniatae? Qui, cum iam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, aspexisse lacertos suos dicitur, illacrimansque dixisse, 'At hi quidem iam mortui sunt.'

REPULSE OF THE HELVETII.

113. Helvetii ea spe deiecti navibus iunctis ratibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat, nonnunquam interdium, saepius noctu, si perrumpere possent, conati, operis munitione et militum concursu et telis repulsi hoc conatu destiterunt.

CINCINNATUS.

114. Sequenti anno, cum in Algido monte Romanus obsideretur exercitus, L. Quinctius Cincinnatus dictator est factus, qui agrum quatuor iugerum possidens manibus suis colebat. Is cum in opere et arans esset inventus, sudore deterso togam praetextam accepit et caesis hostibus liberavit exercitum.

A SAYING OF THEMISTOCLES.

115. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur, quod acroama aut cuius vocem libentissime audiret, eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.

THE RIVER ARAR.

116. Flumen est Arar, quod per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, iudicari non possit.

MILTIADES.

117. Sed in Miltiade erat cum summa humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret : magna auctoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima.

MILO.

118. Olympiae per stadium ingressus esse Milo dicitur, cum humeris sustineret bovem vivum.

MANLIUS TORQUATUS.

119. T. Quinctius dictator adversus Gallos, qui ad Italiam venerant, missus est. Hi trans Anienem fluvium conederant. Ibi nobilissimus de senatoribus iuvenis T. Manlius provocantem Gallum ad singulare certamen progressus occidit, et sublato torque aureo colloque suo imposito in perpetuum Torquati et sibi et posteris cognomen accepit.

THE ROMANS SENT UNDER THE YOKE.

120. Primi consules prope seminudi sub iugum missi : tum, ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiae obiectus : tum deinceps singulae legiones. Circumstabant armati hostes, exprobrantes eludentesque : gladii etiam plerisque intentati ; et vulnerati

quidam necatique, si vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset. Ita traducti sub iugum, et, quod paene gravius erat, per hostium oculos.

VALERIUS CORVUS.

121. Quidam ex Gallis unum ex Romanis, qui esset optimus, provocavit. Tum se M. Valerius tribunus militum obtulit, et cum processisset armatus, corvus ei supra dextrum brachium sedit. Mox commissa adversus Gallum pugna idem corvus alis et unguibus Galli oculos verberavit, ne rectum posset aspicere. Ita a tribuno Valerio interfectus non solum victoriam ei sed etiam nomen dedit. Nam postea idem Corvus est dictus.

DISOBEDIENCE JUSTIFIED.

122. L. Papirius Cursor cum honore dictatoris ad id bellum profectus est. Qui cum Roman redisset, Q. Fabio Maximo, magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, praecepit ne se absente pugnaret. Ille occasione reperta felicissime dimicavit et Samnites delevit. Ob quam rem a dictatore capitis damnatus, quod se vetante pugnasset, ingenti favore militum et populi liberatus est.

A HARDY OLD MAN.

123. Arbitror te audire, Scipio, hospes tuus avitus, Masinissa, quae faciat hodie nonaginta annos natus ;

cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere ; cum equo, ex equo non descendere ; nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit.

THE SURVIVORS OF TROY.

124. Iam primum omnium satis constat, Troia capta, in ceteros saevitum esse Troianos ; duobus, Aenea Antenoreque, et vetusti iure hospitii, et quia pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant, omne ius belli Achivos abstinuisse.

PYRRHUS' ARRIVAL.

125. Eodem tempore Tarentinis, qui iam in ultima Italia sunt, bellum indictum est, quia legatis Romanorum iniurias fecissent. Hi Pyrrhum, Epiri regem, contra Romanos auxilium poposcerunt, qui ex genere Achillis originem trahebat. Is mox ad Italiam venit, tumque primum Romani cum transmarino hoste dimicaverunt.

LAEVINUS' GENEROSITY.

126. Missus est contra eum consul P. Valerius Laevinus, qui cum exploratores Pyrrhi cepisset, iussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum, tumque dimitti, ut renuntiarent Pyrrho quaecunque a Romanis agerentur.

TERRIBLE IN DEATH.

127. *Commissa mox pugna, cum iam Pyrrhus fugeret, elephantorum auxilio vicit, quos incognitos Romani expaverunt. Sed nox proelio finem dedit; Laevinus tamen per noctem fugit, Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit eosque summo honore tractavit, occisos sepelivit. Quos cum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos iacere vidisset, tulisse ad caelum manus dicitur cum hac voce, 'Se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.'*

EXERCISE AND SELF-DENIAL.

128. *Potest igitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.*

THE TROJANS AND LATINUS.

129. *Bello deinde aborigines Troianique simul petiti. Turnus, rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Aeneae fuerat, praelatum sibi advenam aegre patiens, simul Aeneae Latinoque bellum intulerat. Neutra acies laeta ex eo certamine abiit. Victi Rutuli: victores aborigines Troianique ducem Latinum amisere.*

TRAVELLING NEWS.

130. Celeriter ad omnes Galliae civitates fama perfertur. Nam ubicumque maior atque illustrior incidit res, clamore per agros regionesque significant; hinc alii deinceps excipiunt et proximis tradunt, ut tum accidit. Nam quae Genabi oriente sole gesta essent, ante primam confectam vigiliam in finibus Arvernorum audita sunt, quod spatium est millium passuum circiter CLX.

AFTER CANNAE.

131. Hannibal Romanis obtulit, ut captivos redimerent. Responsum est a senatu, eos cives non esse necessarios, qui, cum armati essent, capi potuissent. Ille omnes postea variis suppliciis interfecit, et tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos e manibus equitum Romanorum, senatorum, et militum detraxerat.

OLD AGE TO BE WITHSTOOD.

132. Resistendum, Laeli, et Scipio, senectuti est, eiusque vitia diligentia compensanda sunt. Pugnandum, tanquam contra morbum, sic contra senectutem.

CRUEL PUNISHMENTS.

133. Magnitudine supplicii dubitantes cogit. Nam maiore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis

necat, levioꝛe de causa, auriꝛibus deseetiꝛis aut singuliꝛis effossiꝛis oculiꝛs domum remittit, ut siꝛnt reliquiꝛs documento et magnitudine poenae perterreant alioꝛs.

CONDITIONS OF PEACE.

134. Legati Carthaginiensium pacem a Scipione petiverunt; ab eo ad senatum Romam missi sunt; quadraginta et quinque diebus his induciae datae sunt, quousque Romam ire et regredi possent. Et xxx millia pondo argenti ab his accepta sunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacem iussit cum Carthaginiensibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, ne amplius quam xxx naves haberent, ut D millia pondo argenti darent, captivos et perfugas redderent.

RULES FOR HEALTH.

135. Habenda ratio valetudinis; utendum exercitationibus modicis; tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis.

ROMULUS AND REMUS.

136. Priori Remo augurium venisse fertur, sex vultures; iamque, nuntiato augurio, cum duplex numerus Romulo sese ostendisset, utrumque regem sua multitudo consalutaverat. Tempore illi praecepto,

at hi numero avium, regnum trahebant. Inde, cum altercatione congressi, certamine irarum ad caedem vertuntur. Ibi in turba ictus Remus cecidit.

ANOTHER ACCOUNT.

137. Vulgatio fama est, ludibrio fratris Remum novos transilisse muros : inde ab irato Romulo, cum verbis quoque increpitans adiecisset, Sic deinde, quicumque alius transiliet moenia mea,' interfectum.

SUBMISSION OF PHILIPPUS.

138. T. Quinctius Flaminius adversus Philippum rem prospere gessit. Pax ei data est his legibus : ne Graeciae civitates, quas Romani contra eum defenderant, bellum inferret ; ut captivos et transfugas redderet ; L solum naves haberet, reliquas Romanis daret ; per annos decem quaterna millia pondo argenti praestaret, et obsidem daret filium suum Demetrium.

DESTRUCTION OF CARTHAGE.

139. Cum igitur clarum nomen Scipionis esset, itivenis adhuc consul est factus et contra Carthaginem missus. Is eam cepit et diruit. Spolia ibi inventa, quae variarum civitatum excidiis Carthago collegerat, et ornamenta urbium civitatibus Siciliae, Italiae, Africae reddidit, quae sua recognoscebant. Ita Carthago septingentesimo anno, quam condita erat, deleta est.

Scipio nomen, quod eius avus acceperat, meruit, scilicet ut propter virtutem etiam ipse Africanus iunior vocaretur.

APPIUS.

140. Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat et senex et caecus. Tenebat non modo auctoritatem sed etiam imperium in suos metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant; vigebat in illa domo patrius mos et disciplina.

CAESAR'S PLANS.

141. Caesar ex eo loco quintis castris Gergoviam pervenit equestrique eo die proelio levi facto, perspecto urbis situ, quae posita in altissimo monte omnes aditus difficiles habebat, de expugnatione desperavit, de obsidione non prius agendum constituit, quam rem frumentariam expedisset.

DEATH OF PAUSANIAS.

142. Itaque in aedem Minervae, quae Chalchioecus vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas eius aedis obstruxerunt, tectumque sunt demoliti, quo facilius sub dio interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniae vixisse; eamque iam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis ad filium

claudendum lapidem ad introitum aedis attulisse. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculavit,

ROMULUS' COMMANDS.

143. Romulus, inquit, Quirites, parens huius urbis, prima hodierna luce caelo repente delapsus, se mihi obvium dedit. Cum perfusus honore venerabundusque astitsem, petens precibus, ut contra intueri fas esset, Abi, nuntia, inquit, Romanis, caelestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit; proinde rem militarem colant; sciantque, et ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse. Haec, inquit, locutus, sublimis abiit.

SLOW APPROACH OF AGE.

144. Semper enim in his studiis laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu aetas senescit, nec subito frangitur, sed diurnitate exstinguitur.

CINEAS' EMBASSY.

145. Pyrrhus Romam legatum misit Cineam, praestantissimum virum, qui pacem peteret ea conditione, ut Pyrrhus eam partem Italiae, quam armis occupaverat, sub imperio suo retineret. Romani responderunt, eum cum Romanis pacem habere non posse, nisi ex Italia recessisset,

REGULUS' ADVICE.

146. Regulus cum Romam venisset, inductus in senatum dixit, se desiisse Romanum esse ex illa die, qua in potestatem Poenorum venisset. Tum Romanis suasit ne pacem cum Carthaginensibus facerent: tanti non esse, ut tot milia captivorum propter se unum et paucos, qui ex Romanis capti essent, redderentur.

THE SENATORIAL FLEET.

147. Bibulus multos dies terra prohibitus et graviore morbo ex frigore ac labore implicitus, cum neque curari posset, neque susceptum officium deserere vellet, vim morbi sustinere non potuit. Eo mortuo suam quisque classem ad arbitrium suum administrabat. Vibullius sedato tumultu, quem repentinus adventus Caesaris concitaverat, de mandatis agere instituit. Quem ingressum in sermonem Pompeius interpellavit et loqui plura prohibuit. 'Quid mihi,' inquit, 'aut vita aut civitate opus est, quam beneficio Caesaris habere videbor? Cuius rei opinio tolli non poterit cum in Italiam, ex qua profectus sum, reductus existimabor?'

HONOURABLE CONDUCT OF FABRICIUS.

148. Tum, cum vicina castra ipse et rex haberet, medicus Pyrrhi ad eum nocte venit, promittens veneno Pyrrhum se occisurum, si sibi aliquid polliceretur;

quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum, Pyrrhoque dici, quae medicus spondisset. Tum rex, admirans eum, dixisse fertur, 'Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo, averti potest.'

BESSUS' PLANS.

149. Bessus Alexandri celeritate perterritus, sacrificio rite facto, cum amicis inter epulas de bello consultabat. Graves mero suas vires extollere, hostium paucitatem spernere incipiunt. Praecipue Bessus parto per scelus regno superbus ac vix potens mentis dicit socordia Darei crevisse Alexandrum. Occurrisse enim in Ciliciae faucibus, ubi deprehensus hostis ne fugae quidem, nedum resistendi occasionem fuerit habiturus. Sibi placere in Sogdianos recedere, Oxumque amnem tanquam murum hosti obiicere.

WAIT FOR CAESAR.

150. Ubi hostes ad legatos exercitumque pervererunt, universi se ad pedes proiciunt; orant ut adventus Caesaris expectetur. Nullam exoriri moram posse, quominus, cum venisset, si imperata non facerent ad nutum, e vestigio diriperentur. Docent, si omnino turris concidisset, non posse milites contineri, quin spe praedae in urbem irrumperent urbemque delerent.

COBARES' ADVICE.

151. Erat in eo convivio Cobares, magicæ artis professione celebrer. Is cum præfatus esset, scire, servo utilius esse, parere dicto, quam afferre consilium, rogavit ut sibi pauca dicere liceret. Inde, Turbida, inquit, sunt consilia eorum, qui sibi suadent. Adiecit deinde, canem timidum vehementius latrare, quam mordere: altissima quæque flumina minimo sono labi. Etsi is velocem metum putaret esse, velociorem tamen esse Alexandri spem. Itaque suadere ut se dederet, meliorem fortunam deditus quam hostis habiturus.

PREPARATIONS AT ATHENS.

152. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti auxilium nusquam, nisi a Lacedaemoniis, petiverunt, Phidippidemque cursorem, Lacedaemonem miserunt, ut nuntiaret quam celeri opus esset auxilio. Domi autem creant decem prætores, qui exercitui præessent, in eis Miltiadem. Inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent, an obviam irent hostibus, acieque decernerent. Unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent.

TARQUINIUS' FLIGHT.

153. Mox exercitus quoque, qui Ardeam cum ipso rege oppugnabat, eum reliquit; veniensque ad urbem

rex, portis clausis, exclusus est. Cumque imperavisset annos viginti quinque, cum uxore et liberis suis fugit.

DEMAND FOR THE SURRENDER OF HANNIBAL.

154. Quae dum in Asia geruntur, accidit casu ut legati Prusiae Romae apud L. Quinctium Flaminium consularem cenarent: atque, ibi de Hannibale mentione facta, ex his unus diceret, eum in Prusiae regno esse: id postero die Flaminius senatui detulit. Patres conscripti, qui, Hannibale vivo, nunquam se sine insidiis futuros existimabant, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flaminium, qui a rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet, sibi que dederet.

DIE LIKE MEN.

155. Gracchus ex equo desilit, idem ceteros facere iubet, hortaturque, ut, quod unum reliquum fortuna fecerit, id cohonestent virtute. Reliquum autem quid esse paucis, a multitudine in valle silva montibusque saepta circumventis, praeter mortem? Id referre, utrum praebentes corpora pecorum modo inulti trucidentur, an, toto animo in impetum atque iram verso, perfusi hostium cruore, inter expirantium inimicorum cumulataque arma et corpora cadant.

CAMILLUS AND THE GAULS.

156. Statim Galli ad urbem venerunt; et Romanos apud flumen Alliam victos secuti, etiam urbem occu-

paverunt; postea tamen, accepto etiam auro ne Capitolium obsiderent, recesserunt; quos secutus Camillus ita cecidit, ut aurum, quod his datum fuerat, revocaret.

CAPTURE OF MILETUS.

157. Persae, victis pugna navali Ionibus, terra marique Miletum oppugnarunt et suffossis muris, admotisque cuiusque generis machinis, cum ipsa arce ceperunt, sexto a defectione Aristagorae anno; captam in servitatem redegerunt.

THE CAMPANIANS DEMAND HELP.

158. Et Campani, audita sua sociorumque clade, legatos ad Hannibalem miserunt, qui nuntiarent, duos consules ad Beneventum esse diei iter a Capua; tantum non ad portas et muros bellum esse; ni propere subveniat, celerius Capuam quam Arpos in potestatem hostium venturam. Ne Tarentum quidem tanti debere esse, ut Capuam, quam Carthagini aequare solitus sit, desertam indefensamque populo Romano tradat.

A CHANCE OF REVENGE.

159. Is perfunctus militia, per P. Cornelium Sullam praetorem in senatum introductus, petit a patribus, uti sibi quinque millia militum darentur. Se, peritum et hostis, et regionum, brevi operae pretium facturum; et, quibus artibus ad id locorum nostri et duces et exercitus capti forent, iis adversus inventorem usurum.

SUPERSTITION REBUKED.

160. Rex Prusias, cum Hannibali apud eum exsulanti depugnari placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent. An tu, inquit, carunculae vitulinae mavis quam imperatori veteri credere?

THE FOX AND THE CROW.

161. Olim corvus caseum, quem rapuerat, edere volebat. Hunc dum sedet in summa arbore, vidit vulpes, et sic loqui coepit: 'O corve, qualis est pennarum tuarum nitor! quam pulchrum corpus et vultum habes! Si parem vocem haberes, nulla avis te praestaret.' At corvus, dum vult vocem ostendere, emisit ore caseum; quem vulpis celeriter avidis dentibus corripuit. Hac re probatur, quantum astutia valet.

MURDER WILL OUT.

162. Pyrrhus rex in itinere incidit in canem, qui interfecti hominis corpus custodiebat. Cum audiisset canem iam tertium diem assidere neque a cadavere decedere, iussit mortuum humari, canem vero deduci et diligenter curari. Paucis post diebus rex exercitum lustrat. Transeunt singuli milites. Adest canis. Qui, tacitus et quietus antea, ubi domini sui percussorem transire vidit, procurrit, et tanto furore latravit, ut regis suspicionem moveret. Homo comprehensus et quibusdam indicibus accedentibus confessus scelus poenas meritas dedit.

OPPORTUNE TACT.

163. Sensit peritus dux, quae res victoriae obstaret ; temperandum ingenium suum esse, et severitatem miscendam comitati. Itaque adhibitis legatis ipse circum saucios milites inserens in tentoria caput, singulos ut sese haberent rogitans, curam eorum nominatim legatis tribunisque et praefectis demandabat. Rem per se popularem ita dexter egit, ut medendis corporibus, animi multo prius militum imperatori reconciliarentur ; nec quicquam ad salubritatem efficacius fuerit, quam quod grato animo ea cura accepta est.

CROSSING A RIVER.

164. Qua re per exploratores cognita summo labore militum Caesar continuato diem noctemque opere in flumine avertendo huc iam reduxerat rem, ut equites, etsi difficulter atque aegre fiebat, possent tamen atque auderent flumen transire, pedites vero tantummodo humeris ac summo pectore exstare et cum altitudine aquae tum etiam rapiditate fluminis ad transeundum impedirentur.

DISCOURAGEMENT OF HANNIBAL.

165. Octo hominum millia tenebat Hannibal, non quos in acie cepisset, sed qui relictis in castris fuissent a Paulo et a Varrone consulibus. Eos senatus non censuit redimendos cum id parva pecunia fieri posset :

ut esset insitum militibus nostris aut vincere aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis scribit Polybius, quod senatus populusque Romanus rebus afflictis tam excelso animo fuisset.

STRATEGIC MOVES.

166. Haec eodem fere tempore Caesar atque Pompeius cognoscunt. Nam praetervectas Apolloniam Dyrrachiumque naves viderant, ipsi iter secundum eas terra direxerant, sed quo essent eae delatae primis diebus ignorabant. Cognitaque re sibi ambo consilia capiunt: Caesar, ut quam primum se cum Antonio coniungeret; Pompeius, ut venientibus in itinere se opposeret, si imprudentes ex insidiis adoriri posset; eodemque die uterque eorum ex castris stativis a flumine Apso exercitum educunt, Pompeius clam et noctu, Caesar palam et interdium.

C. MUCIUS' THREAT TO PORSENA.

167. Romanus sum, inquit, civis; C. Mucium vocant: hostis hostem occidere volui; nec ad mortem minus animi est quam fuit ad caedem: et facere et pati fortia Romanum est. Nec unus in te ego hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus: proinde in hoc discrimen, si iuvat, accingere, ut in singulas horas de capite dimices tuo, hostemque in vestibulo habeas regiae: hoc tibi iuventus Romana indicimus bellum: nullam aciem, nullum proelium timeris, uni tibi cum singulis res erit.

CATILINA.

168. Lucius Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella caedes discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens fuit frigoris et famis, supra quam cuiquam credibile: animus audax et subdolos. Hunc libido magna invaserat reipublicae evertendae, et quibus id modis assequeretur, ne minimi quidem pendebat. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos luxuria et avaritia pessimos fecerant.

PRINCIPLE.

169. Thraces adeo obstinati sunt animo, ut nemini credant, etiamsi optime loquatur. Et Thrax quidam, cum aegrotaret, causae morbi nescius, medicum arcessivit: qui, cum venisset, de morbo alterum interrogavit. Quidnam, inquit, pridie edisti? Cui Thrax, Duodecim echinos. Medicus non sine risu, Nimirum, inquit, stomacho laboras, qui tot edisti, nam si viginti edisses, mortuus esses. Alter tamen strenue negavit: et statim exiit viginti echinos empturus, quos, domum reversus, coctos edit. Tum ad summam domum cum ascendisset, praecipitem se deiecit ibique interfectus est. Quo facto demonstravit quempiam viginti echinos esse posse neque propter hos mori.

NATURE'S PROVISIONS.

170. Iam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando; cibumque partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum; alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant. Quae autem altiora sunt, ut anseres, ut cycni, ut grues, ut cameli, adiuvantur proceritate collorum. Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum.

PART III.

AMBASSADORS FROM TARENTUM REPORT
FAVOURABLY TO HANNIBAL OF THE DIS-
POSITION OF THEIR TOWNSMEN TOWARDS
HIM.

171. Ad Hannibalem, cum ad lacum Averni esset, quinque nobiles iuvenes, ab Tarento venerunt, partim ad Trasimenum lacum partim ad Cannas capti, dimissique domos, cum eadem comitate qua usus adversus omnes Romanorum socios Poenus fuerat. Ii, memores beneficiorum eius perpulisse magnam partem se iuventutis Tarentinae, referunt, ut Hannibalis amicitiam ac societatem quam populi Romani mallent; legatosque ab suis missos rogare Hannibalem ut exercitum propius Tarentum admoveat. Si signa eius, si castra conspecta a Tarento sint, haud ullam intercessuram moram quin urbs dedatur. In potestate iuniorum plebem, in manu plebis rem Tarentinam esse. Hannibal collaudatos eos oneratosque ingentibus promissis domum ad coepta maturanda redire iubet; se in tempore affuturum esse.

CLEMENCY OF AEMILIUS TO PERSEUS.

172. Perseus nigra veste amictus castra ingressus est. Nunquam ad ullum spectaculum tanta multitudo convenerat. Rex captivus progredi prae turba non poterat, donec consul lictores misit, qui iter ad eum fecerunt. Tum Perseus adiit, et Aemilius consurrexit, progressusque paulum introeunti regi manum porrexit; illum ad genua procumbentem erexit, et introductum in tabernaculum suo lateri assidere iussit. Deinde eum interrogavit: Quam propter causam bellum contra nos tam infenso animo suscepisti? Rex, nullo dato responso, terram intuens diu flevit. Tum alter: Bonum, inquit, animum habe: populi Romani clementia non modo spem tibi, sed certam fiduciam salutis praebet.

RECONNOITRING BEFORE A BATTLE.

173. Media circiter nocte iis, qui adaquandi causa longius a castris processerant, ab equitibus correptis, fit ab his certior Caesar, duces adversariorum silentio copias castris educere. Quo cognito, signum dari iubet, et vasa militari more conclamari. Illi, exaudito clamore, veriti, ne noctu impediti sub onere configere cogerentur, aut ne ab equitatu Caesaris in angustiis tenerentur, iter supprimunt, copiasque in castris continent. Postero die Petreius cum paucis equitibus occulte ad exploranda loca proficiscitur. Hoc idem fit ex castris Caesaris. Mittitur L. Decidius Saxa cum paucis, qui loci naturam perspiciat. Uterque idem

suis renuntiat : quinque millia passuum proxima intercedere itineris campestris ; inde excipere loca aspera et montuosa ; qui prior has angustias occupaverit, ab hoc hostem prohiberi nihil esse negotii.

THE ROMANS SEND AMBASSADORS TO SYRACUSE, AND RECEIVE A HAUGHTY ANSWER.

174. Inde quoque legatos praemitti placuit, quibus, ne intrarent urbem, extra portam Hippocrates atque Epicydes obviam cum suis processerunt. Romanus orator non bellum se Syracusanis sed opem auxiliumque adferre ait, et iis, qui ex media caede elapsi perfugerint ad se, et iis, qui metu oppressi foediorum non exsilio solum sed etiam morte servitutum patientur : nec caedem nefandam sociorum inultam Romanos passuros ; itaque si eis, qui ad se perfugerunt, tutus in patriam reditus pateret, caedis auctores dedantur et libertas legesque Syracusanis restituantur, nihil armis opus esse : si ea non fiant, quicumque in mora sit, bello persecuturos. Ad ea Epicydes, si qua ad se mandata haberent, responsum eis ait se daturus fuisse : quum in eorum ad quos venerint manu res Syracusana esset, tum reverterentur : si bello lacerent, ipsa re intellecturos, nequaquam idem esse Syracusas ac Leontinos oppugnare.

THE CAUDINE FORKS.

175. Nec Samnites ipsi, quid sibi faciendum in re tam laeta, sciebant. Pontius accitum patrem Heren-

nium rogavit, quid fieri placeret. Is ubi audivit, inter duos saltus clausum esse exercitum Romanum, dixit, aut omnes esse occidendos, ut vires frangerentur, aut omnes dimittendos esse incolumes, ut beneficio obligarentur. Neutra sententia accepta fuit : interea Romani necessitate victi legatos mittunt, qui pacem petant. Pax concessa est ea lege, ut omnes sub iugum traducerentur. Itaque paludamenta consulibus detracta, ipsique primi sub iugum missi, deinde singulae legiones. Circumstabant armati hostes exprobrantes illudentesque. Romanis e saltu egressis, lux ipsa morte tristior fuit ; pudor fugere colloquia et coetus hominum cogebat. Sero Romam ingressi sunt, et se in suis quique aedibus abdidierunt.

THE REFUSAL OF AEMILIUS PAULLUS TO ESCAPE AFTER THE BATTLE OF CANNAE.

176. 'L. Aemili,' inquit Lentulus, 'cape hunc equum : ne funestam hanc pugnam morte consulis feceris. Etiam sine hoc lacrimarum satis luctusque est.' Ad ea consul : 'Tu quidem, Cn. Corneli, macte virtute esto ! Sed cave, frustra miserando exiguum tempus e manibus hostium evadendi absumas. Abi, nuntia publice Patribus, urbem Romanam muniant, ac prius, quam hostis victor adveniat, praesidiis firment : privatimque Q. Fabio, L. Aemilium praeceptorum eius memorem et vixisse, et adhuc mori. Me in hac strage militum meorum patere expirare, ne aut reus iterum e consulatu sim, aut accusator collegae existam, ut alieno crimine innocentiam meam protegam.'

EXPIATION OF PORTENTS: ROMAN DISCIPLINE.

177. Consules, duabus urbanis legionibus scriptis, supplementoque in alias lecto, priusquam ab urbe moverent, prodigia procurarunt quae nuntiata erant. Murus ac portae tactae, et Ariciae etiam Iovis aedes de coelo tacta fuerat. Et alia ludibria oculorum auriumque credita pro veris: navium longarum species in flumine Tarracinae, quae nullae erant, visae, et in Iovis Vicilini templo, quod in Compsano agro est, arma concrepuisse, et flumen Amiterni cruentum fluxisse. His procuratis ex decreto pontificum profecti consules, Sempronius in Lucanos, in Apuliam Fabius. Pater filio legatus ad Suessulam in castra venit. Cum obviam filius progredieretur lictoresque verecundia maiestatis eius taciti anteirent, praeter undecim fasces equo praevectus senex, ut consul animadvertere proximum lictorem iussit, et is ut descenderet ex equo, inclamavit, tum demum desiliens 'Experiri' inquit, 'volui, fili, satin' scires consulem te esse.'

PREPARATIONS FOR BATTLE.

178. Quibus rebus cognitis, Caesar iubet milites, qui extra munitiones processerant, quique pabulandi aut lignandi aut etiam muniendi gratia vallem petierant, quique ad eam rem opus erant, omnes intra munitiones minutatim modesteque sine tumultu aut terrore se recipere, atque in opere consistere. Equitibus autem,

qui in statione fuerant, praecipit, ut usque eo locum obtinerent, in quo paulo ante constitissent, donec ab hoste missum telum ad se perveniret ; quod si propius accederetur, quam honestissime se intra munitiones reciperent. Alii quoque equitatu edicit, uti suo quisque loco paratus armatusque praesto esset. At haec non ipse per se coram, cum de vallo prospicere, sed mirabili peritus scientia bellandi, in praetorio sedens, per speculatores et nuntios imperabat, quae fieri volebat.

ATTEMPT OF C. MUCIUS SCAEVOLA TO ASSASSINATE PORSENA.

179. Sed C. Mucio indignum videbatur populum Romanum ab Etruscis obsideri, quorum saepe exercitus fuderit. Itaque magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, primo sua sponte penetrare in hostium castra constituit. Dein, metuens, ne, si consulum iniussu et ignaris omnibus iret, forte deprehensus a custodibus Romanis retraheretur ut transfuga, fortuna tum urbis crimen affirmante, senatum adiit. 'Transire Tiberim,' inquit, 'Patres, et intrare, si possim, castra hostium ; non praedo, nec populationum invicem ultor : maius, si Dii iuvant, in animo est facinus.' Approbant Patres : abdito intra vestem ferro, proficiscitur. Ubi eo venit, in confertissima turba prope regium tribunal constitit. Ibi cum stipendium forte militibus daretur, et scriba, cum rege sedens pari fere ornatu, multa ageret, eum milites vulgo

adirent, timens sciscitari uter Porsena esset, ne, ignorando regem semet ipse aperiret, quis esset, quo temere fortuna traxit facinus, scribam pro rege obtruncat.

UNMANLY FEAR REBUKED.

180. Itaque is terror in castris ortus, qui si pugnantibus cepisset, insignis accepta clades foret. Ubi primum illuxit, abire sine certamine cupiunt. Sed via una, et ea praeter hostes, erat : qua ingressi, praebuere speciem recta via tendentium ad castra oppugnanda. Consul arma capere milites iubet, et sequi se extra vallum. Legati omnes affirmant, 'se quidem omnia facturos, sed militum iacere animos. Tota nocte inter vulnera et gemitus morientium vigilatum esse. Si ante lucem ad castra ventum foret, tantum pavoris futurum fuisse, ut relicturi signa fuerint : nunc pudore a fuga contineri : alioquin pro victis esse.' Quae ubi consul accepit, cunctantes arma capere increpabat 'Quid cessarent, tergiversarenturque? Hostem in castra venturum, nisi illi extra castra exissent : et pro tentoriis suis pugnandum fore, si pro vallo nollent. Armatis ac dimicantibus dubiam victoriam esse. Qui nudus atque inermis hostem maneat, ei aut mortem aut servitatem patiendam.'

THEMISTOCLES.

181. Fertur incredibili quadam magnitudine consilii atque ingenii Atheniensis ille fuisse Themistocles. Ad

quem quidam doctus homo atque imprimis eruditus accessisse dicitur, eique artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitus esse se traditurum. Cum ille quaesivisset, Quidnam illa ars efficere posset? fertur dixisse illum doctorem, Ut omnia meminisset, eique Themistoclem respondisse gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci quae vellet, quam si meminisse docuisset. Videsne quae vis in homine acerrimi ingenii, quam potens et quanta mens fuerit, qui ita responderit, ut intelligere possemus, nihil ex illius animo, quod semel esset infusum, unquam effluere potuisse; cum quidem ei fuerit optabilius, oblivisci posse potius quod meminisse nollet, quam, quod semel audivisset vidissetve, meminisse?

JASON AND MEDEA.

182. Iason, Aesonis filius, inter Graecos virtute praestantissimus esse dicitur. Is, cum navem parasset, cum multis aliis ad extremas Ponti oras navigavit. Multa pericula passus tandem ad Colchidem, cuius regionis Aeetes rex erat, pervenit. Ibi Medeam, regis filiam, amore percussus, e patris domo eripuit, et Graeciam versus fugit. Insecutus est Aeetes, ut filiam recuperaret, et de Iasone poenas meritas sumeret. Tum Medea, cum patris navem appropinquare vidisset, fratrem Absyrtum occidendum, et membra eius in mare abiicienda dixit. Dubitantibus nautis, rogavit quid morarentur, eam clamans solam esse salutis viam. Inviti iuvenem interficiunt, et avulsa membra

in mare proiiciunt. Pater misericordia motus, ut filii membra legat, navem sistit. Cum tali modo tuti evasissent, novo aliquo atque ignoto cursu Europam circumvecti, per Herculis columnas in patriam redierunt. Cui quidem fabulae vix credendum est : sed potius scriptores eius regionis ignari eam finxisse videntur.

MODERATION OF PYRRHUS.

183. Aequè mitis animus Pyrrhi regis. Audierat, quosdam Tarentinorum in convivio parum honoratum de se sermonem habuisse ; vocatosque, qui ei interfuerant, percontabatur, an ea, quae ad aures eius pervenerant, dixissent. Tum ex his unus : Nisi, inquit, vinum nobis defecisset, ista quae tibi relata sunt, prae iis quae de te locuturi eramus, lusus ac iocus fuissent. Tam urbana excusatio tamque simplex veritatis confessio iram regis convertit in risum. Qua quidem clementia et moderatione assecutus est, ut et sobrii sibi Tarentini gratias agerent, et ebrii bene precarentur. Ab eadem altitudine humanitatis legatis Romanorum ad redimendos captivos castra sua petentibus, quo tutius venirent, Lyconem Molossum obviam misit : quoque honoratius exciperentur, ipse cum ornato equitatu extra portam occurrit : secundarum rerum proventu non adeo corruptus, ut officii prospectum in iis deponeret, qui tum maxime armis cum eo dissidebant.

CODRUS : THEMISTOCLES.

184. Rex Atheniensium Codrus, cum ingenti hostium exercitu regnum suum ferro ignique vastaretur, ab Apolline Delphico quaesivit per legatos quo modo illud periculum averti posset. Respondit deus, finem ei fore si ipse hostili manu occidisset. Quo quidem non solum Athenis sed etiam in castris hostium mox cognito edictum est ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam rex cognovit depositis insignibus imperii vestem servilem induit, ac pabulantium hostium turmae se obiecit, unumque ex his falce percussum in caedem suam compulit. Qua virtute et Athenis salutem et sibi ipsi immortalitatem consecutus est. Simili autem pietate nobis videtur fuisse Themistocles, quem virtus sua victorem, iniuria patriae ducem Persarum fecerat; ut enim se ab ea oppugnanda abstineret, instituto sacrificio, exceptum poculo tauri sanguinem hausit, et ante ipsam aram quasi quaedam clara victima concidit. Quo quidem tam memorabili eius excessu ne Graeciae altero Themistocle opus esset effectum est, neque quidquam et in tali vita hoc exitu clarius reperiundum est.

ASCENDANCY OF GRACCHUS OVER HIS FRIENDS.

185. Inimicus patriae fuisse Tiberius Gracchus existimatus est, quia potentiam suam saluti eius praetulerat. Quam fidum tamen amicum in hoc tam

pravo proposito Blossium habuerit, ex his cognoscere possumus. Hostis iudicatus, ultimo supplicio affectus, sepulturae honore privatus, benevolentia eius non caruit. Nam cum senatus consulibus mandasset, ut in eos, qui cum Graccho consenserant, more maiorum animadverterent, Blossius ad Laelium, cuius consilio praecipue consules utebantur, pro se deprecatum venit; interrogatusque, si Gracchus templo Iovis faces subdere iussisset, obsecuturusne voluntati illius propter eam quam ipse iactaret familiaritatem esset, Nunquam istud, inquit, Gracchus imperasset. Verum quod sequitur, multo audacius multoque periculosius; compressus enim perseveranti interrogatione Laelii in eadem constantia permansit, seque etiam hoc, si modo Gracchus annuisset, facturum respondit. Quis illum sceleratum putasset fuisse, si tacuisset? quis non etiam sapientem, si pro necessitate temporis locutus esset? At ille nec silentio honesto nec prudenti sermone salutem suam, ne qua ex parte infelicis amicitiae memoriam desereret, tueri voluit.

ALEXANDER ENCOURAGES HIS TROOPS.

186. Alexander, tam memorabili victoria laetus, qua sibi orientis fines apertos esse censebat, Soli victimis caesis milites quoque, quo promptioribus animis reliqua belli obirent, pro contione laudatos docuit, quidquid Indis virium fuisset, illa dimicatione prostratum: cetera opimam praedam fore celebratas opes in ea regione eminere, quam peterent.

Proinde iam vilia et obsoleta esse spolia de Persis : gemmis margaritisque et auro atque ebore Macedoniam Graeciamque, non suas tantum domos repletum iri. Avidi milites et pecuniae et gloriae, simul quia nunquam eos adfirmatio eius fefellerat, pollicentur operam : dimissisque cum bona spe navigia exaedificari iubet, ut, cum totam Asiam percucurrisset, finem terrarum, mare, inviseret. Multa materia navalis in proximis montibus erat : quam ut caederent adgressi magnitudinis inusitatae repperere serpentes.

ZEAL.

187. Sunt qui negant eum virum videri qui irasci nesciat, eamque quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant. Nec vero solum hanc libidinem laudant, sed ipsum illud genus vel libidinis vel cupiditatis ad summam utilitatem esse dicunt a natura datum ; nihil enim quenquam nisi quod libeat praeclare facere posse. Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat Miltiadis tropaeis se a somno suscitari. Cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae ? qui dolere se aiebat, si quando opificum victus esset industria. Philosophiae denique ipsius principes nunquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent. Ultimas orbis terras lustravisse Pythagoram accepimus ; ubi enim quid esset, quod disci posset, eo veniendum esse iudicaverunt. Num putamus haec fieri sine summo cupiditatis ardore potuisse ?

ADVICE TO TEACHERS.

188. Puerorum mentes hortis certe simillimae sunt. Diligenter enim cultae, fructum plurimum saepe reddent, neglectae tamen non solum incultae, sed etiam cultori inutiles fient. Maximi igitur erit vim innatam bene promovere; ita enim e mente velut a solo horti, fructum quam maximum capies. Sunt tamen qui de ingenio eorum ocius desperant, quae sibi iunioribus acciderint sane oblitae, et praesentia pro pessimis habentes tempora acta semper collaudant, quae sibi, propter fallacem illam remotiorum omnium speciem, quamvis re vera etiam peiora iam optima videntur. Ne hoc tamen feceris, sed spe futuri elatus noli tardiores pro ignavis, incultos pro stultis habere. Haec etiam bene memineris; pueros vel optimos ita solum diligentes esse ut interdum segnes fiant, operisque nimium iuvenem potius stolidum quam acutum facere. Monitis vero omnibus frustra tentatis tum demum ferula utaris, talium nunquam immemor: melius sane omnes verbis quam manu corrigi, et doctores iuvenum hoc praecipue inter se distare, quo animos discipulorum operae intentos atque discendi cupidos habere possunt.

ZAMA.

189. Marius ad Zamam pervenit. Id oppidum, in campo situm, magis opere quam natura munitum erat: nullius rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Marius, omnibus rebus ad oppugnandam urbem

paratis, cuncta moenia exercitu circumvenit. Militibus imperat, quid quisque curaret : deinde, signo dato, undique simul clamor ingens oritur. Neque ea res Numidas terret : silentes intentique sine tumultu manent : mox proelium incipitur. Romani, qua quisque poterat, lapidibus telisque missilibus eminus pugnant : hi muros subfodiebant, illi scalis aggrediebantur, omnibusque modis proelium cominus facere conabantur. Contra oppidani in proximos Romanorum saxa volvebant : alii picem, sulfur, taedas ardentes desuper coniciebant. Undique summa vi certabatur, cum Mario cognitum est partem muri negligentius defendi, quia natura ipsa satis muniri videretur. Itaque ipse cum duabus cohortibus sociorum eam partem repente aggreditur, et primo victor, mox pulsus, quum tandem a suis auxilium recepisset, oppidanosque in arcem regredi coegisset, urbem exteriorem cepit.

SCIPIO AND HANNIBAL.

190. Scipio Africanus Ephesi collocutus est cum Hannibale. Haec apud Claudium legimus. Idem scriptor sermonem unum refert, memoratu dignum. Quaerente Africano, Quem tu, Hannibal, maximum credis imperatorem? Respondit is, Maximum credo Alexandrum : quod parva manu magnos fudit exercitus, quodque ultimas terrae oras, quas visere supra spem humanam erat, peragravit. Tum Scipio : Quem tu ponis secundum? Cui Hannibal : Ego vero Pyrrhum pono : castra enim metari primus docuit : loca

sapienter capere : praesidia bene disponere : artem etiam conciliandi sibi homines eam habuit, ut nemo suis carior fuerit. Deinde Scipioni quaerenti quem tertium duceret? fertur haud dubie 'semet ipsum' dixisse. Tum ubi Scipio ridens subiecit, Quidnam diceres si me vicisses? Dixissem vero me ante omnes imperatores esse. Neque sane displicuit Scipioni, quod Hannibal e grege imperatorum ipsum velut inaestimabilem secreverat.

REVENGE.

191. Rem atrocem Largius a servis suis passus est ; superbus enim erat dominus et saevus. Lavabatur in villa Formiana ; repente eum servi circumstant ; alius fauces invadit, alius os verberat, alius pectus et ventrem contundit, et quum exanimem putarent, abiiciunt in fervens pavimentum ut experirentur an viveret. Ille sive quia non sentiebat, sive quia non sentire simulabat, immobilis et extentus fidem peractae mortis implevit. Tum demum effertur ; excipiunt servi fideiiores. Ita et vocibus excitatus et recreatus loci frigore, sublatis oculis agitatoque corpore vivere se (et iam tutum erat) confitetur. Diffugiunt servi, quorum magna pars comprehensa est, ceteri requiruntur ; ipse paucis diebus, aegre refocillatus, non sine ultionis solatio decessit, ita vivus vindicatus, ut occisi solent.

RESOLUTION OF THE ATHENIANS.

192. Athenis cum esset Mardonius in Salaminem misit legatum, qui easdem Atheniensibus condiciones proponeret quas Alexander ad illos pertulerat. Qui cum ad senatum venisset, exposuissetque Mardonii mandata, unus e senatoribus, Lycides, dixit, recte factum sibi videri si condiciones acciperent. Hanc ille sententiam dixit sive quod pecunias a Mardonio accepisset, sive quod ipsi per se ita visum fuisset. Sed Athenienses indignati, cum senatores, tum qui foris stabant, ut cognoverunt, protinus Lycidem lapidibus obruerunt. Orto inde in Salamine propter Lycidem tumultu, cum rescivissent Athenienses mulieres quid rei esset, ultro aedes Lycidis petierunt, et uxorem liberosque eius lapidibus obruerunt.

HONESTY OF PHOCION.

193. Phocion Atheniensis etsi saepe exercitibus praefuit, tamen multo clarior erat ob integritatem vitae quam ob rei militaris gloriam. Fuit enim perpetuo pauper cum divitissimus esse posset propter frequentes honores potestatesque summas, quae ei a populo dabantur. Hic cum a rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret, legatique hortarentur ut acciperet, simulque admonerent, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam patris tueri gloriam, ille, 'Si,' inquit, 'mei similes

erunt, idem hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.'

SPEECH OF DIVITIACUS.

194. Pro his Divitiacus facit verba : Bellovacos omni tempore in fide atque amicitia civitatis Aeduae fuisse : impulsos a suis principibus qui dicerent, Aeduos a Caesare in servitatem redactos, omnes indignitates contumeliasque perferre, et ab Aeduis defecisse et Populo Romano bellum intulisse. Qui huius consilii principes fuissent, quod intelligerent quantam calamitatem civitati intulissent, in Britanniam profugisse. Petere non solum Bellovacos, sed etiam pro his Aeduos, ut sua clementia ac mansuetudine in eos utatur. Quod si fecerit, Aeduorum auctoritatem apud omnes Belgas amplificaturum; quorum auxiliis atque opibus, si qua bella inciderint, sustentare consuerint.

NEGOTIATIONS WITH THE HELVETII.

195. Ubi de eius adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt, nobilissimos civitatis, cuius legationis Numeius et Verudoctius principem locum obtinebant, qui dicerent, Sibi esse in animo, sine ullo maleficio iter per Provinciam facere, propterea quod aliud iter haberent nullum: rogare, ut eius voluntate id sibi facere liceat. Caesar, quod memoria tenebat Iucium Crassum consulem occisum, exercitum-

que eius ab Helvetiis pulsum, et sub iugum missum, concedendum non putabat : neque homines inimico animo, data facultate per Provinciam itineris faciundi, temperaturos ab iniuria et maleficio existimabat. Tamen ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, convenirent, legatis respondit, Diem se ad deliberandum sumpturum ; si quid vellent, ante diem Idus Apriles reverterentur.

SPEECH OF A HELVETIAN CHIEF.

196. Is ita cum Caesare agit : Si pacem Populus Romanus cum Helvetiis facerent, in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios, ubi eos Caesar constituisset atque esse voluisset : sin bello persequi perseveraret, reminisceretur et veteris incommodi Populi Romani et pristinae virtutis Helvetiorum. Quod improvise unum pagum adortus esset, cum ii qui flumen transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suae magno opere virtuti tribueret aut ipsos despiceret : se ita a patribus maioribusque suis didicisse, ut magis virtute, quam dolo aut insidiis niterentur. Quare ne committeret, ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate Populi Romani et internecone exercitus nomen caperet, aut memoriam proderet.

IMPIETY OF A ROMAN ADMIRAL.

197. Primo Punico bello, P. Claudius, qui Romanae classi praeerat, impio verbo ita deorum iram excitavit

ut maximo detrimento Romanos punirent ; narrandum autem mihi est, quo modo res acciderit.

Nam Claudius, quum proelium cum hostibus committere vellet, legatis imperavit ut, omnibus paratis, nulla mora in Poenos irent. Quod cum audivisset haruspex, qui cum classe profectus erat ut deorum voluntatem exponeret, negavit deos permissuros esse ut proelium committeretur. Claudio tamen rogante, cur ita dixisset, respondit ille pullos, quos ominis causa secum haberent, frumenta edere nolle ; itaque, cum id pessimum esset omen, nihil illo die faciendum esse. Sed Claudius, qui mora adeo iratus erat ut non posset retineri, 'Si igitur edere nolunt,' inquit, 'bibendi dabo facultatem.' Quo dicto pullos statim in mare iactari iussit.

Navitae autem, quamquam multum impio verbo terrebantur, non tamen ita audaces erant ut ducis imperio non parerent ; itaque pullis mari demersis proelioque commisso Romanis ob iram deorum omnia infelicissime evenerunt.

THE STORY OF GYGES.

198. Pastor olim fuit, nomine Gyges, qui Lydiae regis pecudes pascebat. Hic, cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum, aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animadvertit, cuius in lateribus fores erant. Iis apertis, corpus hominis mortui vidit magnitudine inusitata, aureumque in digito annulum, quem detractum ipse

induit. Inde in pastorum concilium se recepit : ibi, cum palam eius annuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat. Idem rursus videbatur, cum in locum anulum inverterat. Hac opportunitate annuli usus, Gyges regem dominum interemit ; sustulit quos obstare sibi arbitrabatur, nec in his eum facinoribus quisquam potuit videre ; denique Lydiae rex exortus est.

Hunc ipsum anulum si habeat vir bonus, nihilo plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet.

CAESAR'S REPLY TO THE HELVETII.

199. His Caesar ita respondit : 'Eo sibi minus dubitationis dari, quod eas res, quas legati Helvetii commemorassent, memoria teneret ; atque eo gravius ferre, quo minus merito Populi Romani accidissent ; qui si alicuius iniuriae sibi conscius fuisset, non fuisse difficile cavere ; sed eo deceptum, quod neque commissum a se intelligeret quare timeret ; neque sine causa timendum putaret. Quod si veteris contumeliae oblivisci vellet, num etiam recentium iniuriarum, quod eo invito iter per Provinciam per vim tentassent, quod Aeduos, quod Ambarros, quod Allobrogas vexassent, memoriam deponere posse ?'

HANNIBAL AND ANTIOCHUS.

200. Cum Hannibal Karthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul, proque eo, quod eius

nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis ut Phormionem Peripateticum, si vellet, audiret, cumque is se non nolle dixisset : locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio et de omni re militari. Tum, cum ceteri qui illum audierant vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale quidnam ipse de illo philosopho iudicaret. Hic Poenus non optime Graece, sed tamen libere respondisse fertur : multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret vidisse neminem. Neque mehercule iniuste. Quid enim aut arrogantius aut loquacius fieri potuit quam Hannibali, qui tot annis de imperio cum populo Romano, omnium gentium victore, certasset, Graecum hominem qui numquam hostem, numquam castra vidisset, numquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare ?

THE NAVY OF THE VENETI.

201. Namque ipsorum naves ad hunc modum factae armataeque erant. Carinae aliquanto planiores, quam nostrarum navium, quo facilius vada ac decessum aestus excipere possent ; prorae admodum erectae, atque item puppes, ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accommodatae : naves totae factae ex robore, ad quamvis vim et contumeliam perferendam : transtra pedalibus in latitudinem trabibus confixa clavis ferreis, digiti pollicis crassitudine ; ancorae, pro funibus, ferreis catenis revinctae : pelles pro velis, alutaeque tenuiter

confectae, sive propter lini inopiam atque eius usus inscientiam, sive eo, quod est magis verisimile, quod tantas tempestates Oceani tantosque impetus ventorum sustineri, ac tanta onera navium regi velis non satis commode arbitrabantur.

ATTACK ON A GAULISH CAMP.

202. Cohortatus suos, omnibus cupientibus, ad hostium castra contendit. Ibi cum alii fossas complerent, alii, multis telis coniectis defensores vallo munitionibusque depellerent, auxiliaresque, quibus ad pugnam non multum Crassus confidebat, lapidibus telisque subministrandis, et ad aggerem cespitibus comportandis, speciem atque opinionem pugnantium praeberent; cum item ab hostibus constanter ac non timide pugnaretur, telaque ex loco superiore missa non frustra acciderent; equites, circumitis hostium castris, Crasso renuntiaverunt, non eadem esse diligentia ab decumana porta castra munita, facilemque aditum habere.

DARIUS OFFERS TERMS OF PEACE.

203. Darius quamquam, pace bis frustra petita, omnia in bellum consilia converterat, victus tamen continentia Alexandri ad novas, pacis conditiones ferendas decem legatos misit: quos rex coram inroduci iussit. E quibus maximus natu 'Darium,' inquit, 'ut pacem te rogaret nulla vis subegit, sed tua

unius iustitia. Quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? Nunc quicquid inter Hellespontum et Euphraten est in dotem filiae offert, quam tibi tradit: filium, quem habes, retine, matrem et duas filias redde: pro tribus corporibus triginta millia talentum precatur accipias. Memento facilius esse, quaedam vincere quam obtinere.' Alexander, legatis excedere tabernaculo iussis, quid placeret ad consilium refert. Diu nemo, quid sentiret, dicere. Tandem Parmenion ait se et antea suasisse ut captivi redderentur: et nunc illud optandum censere, ut una anus et duae puellae tot talentis mutarentur. Oportere Alexandrum ut Macedoniam potius respiceret quam Indos intueretur. Cui rex, 'Et ego pecuniam quam gloriam mallet, si Parmenion essem. Nunc Alexander de paupertate securus sum, et me non mercatorem esse memini sed regem.'

SILENCE IS GOLD.

204. Seleucus, rex Syriae, omnibus copiis in proelio amissis, cum paucis comitibus in equo effugit. Diu per loca inculta vagatus cum tandem in rusticum quendam incidisset eum panem et aquam rogavit. Ille tamen non haec modo sed quicquid aliud regio praebebat fugitivis obtulit. Quum tamen regem agnovisset laetitiam reprimere non potuit, neque eum latere cupientem adiuvit. Clara igitur voce dixit, Rex Seleuce, vale. Inde rex dextra porrecta, quasi eum sculari vellet, simul cuidam ex ministris nutu signifi-

cavit ut caput eius gladio praecideret. Haec fabula monstrat quanti sit sese cohibere, et stulti esse semper loqui ea quae in mentem veniant. Rusticus ille, si parumper tacuisset, sine dubio brevi a rege rursus florente maiora praemia silentii quam hospitii accepisset.

THE USE OF HISTORIANS TO A COUNTRY.

205. Themistocles ille, summus Athenis vir, cum ex eo quaeretur, cuius vocem libentissime audiret, dixit eius, a quo sua virtus optime praedicaretur. Itaque ille Marius eximie Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea quae gesserat posse celebrari. Mithridaticum vero bellum, in multa varietate terra marique gestum, totum ab hoc expressum est; qui libri non modo Lucillum verum etiam populi Romani nomen illustrant. Populus enim aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et regiis opibus et natura regionis vallatum; populus eodem duce non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit; populi laus est urbem Cyzicum ex omni impetu regio ereptam esse; nostra semper feretur pugna illa navalís. Quare, quorum ingeniis haec feruntur, ab iis populi Romani fama celebratur. Non solum enim ipsi qui laudantur sed etiam populi nomen ornatur.

HONOUR ABOVE ALL.

206. Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere statuerentque, ut, urbe relicta, coniugibus et liberis Troezene depositis, naves con-

scenderent, libertatemque Graeciae classe defenderent, Cyrsilum quemdam suadentem, ut in urbe manerent Xerxemque reciperent, lapidibus cooperuerunt. Atque ille utilitatem sequi videbatur : sed ea nulla erat, repugnante honestate. Themistocles post victoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione, Se habere consilium reipublicae salutare, sed id sciri non opus esse : postulavit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus est Aristides. Huic ille, classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse ; quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset. Quod Aristides cum audisset, in concionem magna expectatione venit dixitque, perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt.

SUCCESSFUL DISOBEDIENCE.

207. In Samnium incertis itum auspiciis^o est : cuius rei vitium non in belli eventum, quod prospere gestum est, sed in iras imperatorum vertit. Namque Papirius dictator, cum ad auspiciam repetendum Romam proficisceretur, magistro equitum denuntiavit, ne, absente se, cum hoste manum consereret. Fabius cum post profectionem dictatoris per exploratores comperisset omnia soluta apud hostes, quasi nemo Romanus in Samnio esset, occasione bene gerendae rei inductus,

exercitu instructo profectus ad Imbrinium acie cum Samnitibus confligit. Ea fortuna pugnae fuit, ut si affuisset dictator, res melius geri non potuerit: non dux militi, non miles duci defuit. Eques etiam, auctore L. Cominio, qui aliquoties impetu capto perrumpere non poterat hostium agmen, detraxit frenos equis: atque ita concitatos calcaribus stimulavit, ut sustinere eos nulla vis posset. Per arma, per viros late stragem dedere. Secutus pedes impetum equitum, turbatis hostibus intulit signa.

NEWS OF DEFEAT.

208. Romae ad primum nuntium cladis eius cum ingenti terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus: matronae vagae per vias, quae repens clades adlata quaeve fortuna exercitus esset, obvios percunctantur: et cum frequentis concionis modo turba in comitium et curiam versa magistratus vocaret, tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius praetor 'Pugna,' inquit, 'magna victi sumus:' et quamquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referunt, consulem cum magna parte copiarum caesum, superesse paucos aut fuga passim per Etruriam sparsos aut captos ab hoste.

A NAVAL ENGAGEMENT.

209. Una erat magno usui res praeparata a nostris, falces praeacutae, insertae affixaeque longuriis, non absimili forma muralium falcium. His cum funes, qui

antennas ad malos destinabant, comprehensi adductique erant, navigio remis incitato prae rumpebantur. Quibus abscissis, antennae necessario concidebant, ut, cum omnis Gallicis navibus spes in velis armamentisque consisteret, his ereptis, omnis usus navium uno tempore eriperetur. Reliquum erat certamen positum in virtute, qua nostri milites facile superabant, atque eo magis, quod in conspectu Caesaris atque omnis exercitus res gerebatur, ut nullum paulo fortius factum latere posset: omnes enim colles ac loca superiora, unde erat propinquus despectus in mare, ab exercitu tenebantur.

SPEECH OF AMBIORIX.

210. Sese pro Caesaris in se beneficiis plurimum ei confiteri debere, quod eius opera stipendio liberatus esset, quod Aduatucis, finitimis suis, pendere consuisset, quodque ei et filius et fratris filius ab Caesare remissi essent, quos Aduatuci obsidum numero missos apud se in servitate et catenis tenuissent; neque id, quod fecerit de oppugnatione castrorum, aut iudicio aut voluntate sua fecisse, sed coactu civitatis, suaque esse eiusmodi imperia, ut non minus haberet iuris in se multitudo, quam ipse in multitudinem. Civitati porro hanc fuisse belli causam, quod repentinae Gallorum coniurationi resistere non potuerit. Id se facile ex humilitate sua probare posse, quod non adeo sit imperitus rerum, ut suis copiis populum Romanum superari posse confidat.

THE DRUIDS.

211. His autem omnibus druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo aut si qui ex reliquis excellit dignitate, succedit, aut si sunt plures pares, suffragio druidum, nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt eorumque decretis iudiciisque parent. Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur, et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur. Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt, militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem.

A CAVALRY ENGAGEMENT.

212. Toto hoc in genere pugnae cum sub oculis omnium ac pro castris dimicaretur, intellectum est nostros propter gravitatem armorum, quod neque insequi cedentes possent neque ab signis discedere auderent, minus aptos esse ad huius generis hostem, equites autem magno cum periculo proelio dimicare, propterea quod illi etiam consulto plerumque cederent et, cum paulum ab legionibus nostros removissent, ex essedis desilirent et pedibus dispari proelio conten-

derent. Equestris autem proelii ratio et cedentibus et insequentibus par atque idem periculum inferebat. Accedebat huc, ut numquam conferti, sed rari magnisque intervallis proeliarentur stationesque dispositas haberent, atque alios alii deinceps exciperent, integrique et recentes defatigatis succederent.

POISONERS PUNISHED.

213. Cum primores civitatis similibus morbis eodemque fere omnes eventu morerentur, ancilla quaedam ad Q. Fabium Maximum aedilem curulem indicaturam se causam publicae pestis professa est, si ab eo fides sibi data esset haud futurum noxae indicium. Fabius confestim rem ad consules, consules ad senatum referunt; consensuque ordinis fides indici data. Tum patefactum muliebri fraude civitatem premi, matronasque ea venena coquere; et si extemplo velint, manifesto deprehendi posse. Secuti indicem et coquentes quasdam medicamenta et recondita alia invenerunt; quibus in forum delatis, et ad viginti matronis, apud quas deprehensa erant, per viatorem accitis, duae ex iis, Cornelia ac Sergia, patriciae utraque gentis, cum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab confutante indice bibere iussae ut se falsum commentam arguerent, spatio ad colloquendum sumptis, cum summoto populo in conspectu omnium rem ad ceteras retulissent, haud abnuentibus et illis bibere, epoto medicamento suamet ipsae fraude omnes interierunt.

DIVITIACUS IMPLORES CAESAR TO SPARE
HIS BROTHER.

214. Divitiacus, multis cum lacrimis, Caesarem complexus, obsecrare coepit, 'Ne quid gravius in fratrem statueret: scire se, illa esse vera, nec quenquam ex eo plus, quam se, doloris capere, propterea quod, cum ipse gratia plurimum domi atque in reliqua Gallia, ille minimum propter adolescentiam posset, per se crevisset; quibus opibus ac nervis, non solum ad minuendam gratiam, sed paene ad perniciem suam uteretur: sese tamen et amore fraterno et existimatione vulgi commoveri. Quod si quid ei a Caesare gravius accidisset, cum ipse eum locum amicitiae apud eum teneret, neminem existimaturum, non sua voluntate factum; qua ex re futurum, uti totius Galliae animi a se averterentur.'

IONIDES THE GOOD-TEMPERED.

215. Erat quondam Syracusis vir nomine Ionides, tam eximia benignitate, ut laudare solerent amici quod nunquam irasceretur. Ridentes enim de Ionide dictitabant, si quis pedem ei pede calcaret, rogaturum illum ut sibi ignosceretur, quod invitus sese obviam posuisset.

Accidit autem ut frater Ionidae capitis accusaretur; et re ad praetorem delata, praeclarus quidem iurisconsultus electus est qui reum interrogaret, aliosque testes et praesertim Ionidem ipsum nota arte verum cogeret dicere, si conarentur mentiri.

Quem quidem cum ceteri testes valde metuere viderentur, qui tam acerbe, tam acute, omnia rogaret, Ionides tantum aberat ut timeret, ut instanti illi vel solito tranquillius suaviusque responderet; unde fiebat ut, ridentibus qui aderant omnibus, ipse iurisconsultus irasceretur.

Itaque cum tota arte frustra usus esset, et vero simpliciterque testantem frustra rapida interrogatione contumeliisque laccessivisset, tandem dimittere coactus est. Sed ut abeuntem ioco vulneraret quem interrogando nihil superare potuisset, 'Abi' ait 'o dulcissime; fatendum enim, te sapientissimum esse.'

Et hoc quidem verbum risu maligno edebat, ut intelligerent ceteri, Ionidem prava potius arte consilioque quam veritate vicisse, neque testimonio credendum. Ionides vero, ne tum quidem mota ira, vel benignius quam ante 'Hoc idem' ait 'de te vellem dicere, nisi iureiurando obstrictus essem.'

THE TRAITORS UNMASKED.

216. Tum demum Liscus, oratione Caesaris adductus, quod antea tacuerat, proponit: esse nonnullos, quorum auctoritas apud plebem plurimum valeat: qui privati plus possint, quam ipsi magistratus. Hos seditiosa atque improba oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant, quod praestare debeant. Si iam principatum Galliae obtinere non possint, Gallorum quam Romanorum imperia perferre, satius esse, neque dubitare debere, quin, si Helvetios super-

averint Romani, una cum reliqua Gallia Aeduis libertatem sint erepturi. Ab iisdem nostra consilia, quaeque in castris gerantur, hostibus enunciari : hos a se coerceri non posse. Quin etiam, quod necessario rem coactus Caesari enunciarit, intelligere sese, quanto id cum periculo fecerit, et ob eam causam, quamdiu potuerit, tacuisse.

THE IMPORTANCE OF THE MITHRIDATIC WAR.

217. Causa quae sit videtis ; nunc quid agendum sit considerate. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. Genus est belli eius modi, quod maxime vestros animos excitare atque inflammare ad persequendi studium debeat ; in quo agitur populi Romani gloria, quae vobis a maioribus cum magna in omnibus rebus tum summa in re militari tradita est ; agitur salus sociorum atque amicorum, pro qua multa maiores vestri magna et gravia bella gesserunt ; aguntur certissima populi Romani vectigalia et maxima, quibus amissis et pacis ornamenta et subsidia belli requiretis ; aguntur bona multorum civium, quibus est a vobis et ipsorum et reipublicae causa consulendum.

BAD OMENS.

218. Augebant metum prodiga ex pluribus simul locis nuntiata : in Sicilia militibus aliquot spicula, in

Sardinia autem in muro circumeunti vigiliis equiti scipionem, quem manu tenuerat, arsisse, et litora crebris ignibus fulsisse, et scuta duo sanguine sudasse, et milites quosdam ictos fulminibus, et solis orbem minui visum: et Praeneste ardentis lapides caelo cecidisse, et Arpis parmas in caelo visas pugnantemque cum luna solem, et Capenae duas interdiu lunas ortas, et aquas Caeretes sanguine mistas fluxisse, et Antii metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse, et per idem tempus Romae signum Martis Appia via ac simulacra luporum sudasse. Inde minoribus etiam dictu prodigiis fides habita: capras lanatas quibusdam factas, et gallinam in marem, gallum in feminam sese vertisse.

THE BATTLE OF LAKE TRASUMENNUS.

219. Tres ferme horas pugnatum est et ubique atrociter. Circa consulem tamen acrior infestiorque pugna est: eum et robora virorum sequebantur, et ipse, quacumque in parte premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem: insignemque armis et hostes summa vi petebant et tuebantur cives, donec Insuber eques—Ducario nomen erat—facie quoque noscigans consulem, En, inquit, hic est, popularibus suis, qui legiones nostras cecidit agrosque et urbem est depopulatus. Iam ego hanc victimam Manibus peremptorum foede civium dabo: subditisque calcaribus equo per confertissimam hostium turbam impetum facit, obtruncatoque prius armigero, qui se infesto

venienti obviam obiecerat, consulem lancea transfixit :
spoliare cupientem triarii objectis scutis arcuere.

THE CHARACTER AND DEEDS OF POMPEIUS.

220. Iam vero virtuti Cn. Pompei quae potest oratio par inveniri? Quid est quod quisquam aut illo dignum aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae volgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo; quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt. Testis est Italia, quam ille ipse victor L. Sulla huius virtute et subsidio confessus est liberatam; testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli sed consilii celeritate explicavit; testis est Africa, quae magnis oppressa hostium copiis eorum ipsorum sanguine redundavit; testis est Gallia, per quam legionibus nostris iter in Hispaniam Gallorum inter-necione patefactum est; testis est Hispania, quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit.

PART IV.

THE ENCHANTRESS.

221. Quae simul attigimus, stetimusque in limine tecti,
Mille lupi, mistique lupis ursique leaeque
Occursu fecere metum : sed nulla timenda,
Nullaque erat nostro factura in corpore vulnus.
Quin etiam blandas movere per aera caudas,
Nostraque adulantes comitant vestigia ; donec
Excipiunt famulae, perque atria marmore tecta
Ad dominam ducunt. Pulchro sedet illa recessu,
Sublimus solio, pallamque induta nitentem,
Insuper aurato circumvelatur amictu.

HERCULES AND CACUS.

222. Prima movet Cacus collata proelia dextra,
Remque ferox saxis stipitibusque gerit.
Quis ubi nil agitur, patrias male fortis ad artes
Confugit, et flammas ore sonante vomit.
Occupat Alcides : adductaque clava trinodis
Ter quater adversi sedit in ore viri.
Ille cadit, mistosque vomit cum sanguine fumos ;
Et lato moriens pectore plangit humum.

THE FABII AT BAY.

223. Quid facient pauci contra tot millia fortes ?
Quidve, quod in misero tempore restet, habent ?
Sicut aper longe silvis Laurentibus actus
Fulmineo celeres dissipat ore canes ;
Mox tamen ipse perit : sic non moriuntur inulti,
Vulneraque alterna dantque feruntque manu.

THE SLAYER FLIES IN VAIN.

224. At iuvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
Vane Ligus, frustra que animis elate superbis,
Nequidquam patrias tentasti lubricus artes,
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.

ORODES, MORTALLY WOUNDED, ADDRESSES
MEZENTIUS.

225. Ille autem expirans : ' Non me, quicumque es,
inulto
Victor, nec longum, laetabere : te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.'
Ad quem subridens mista Mezentius ira :
' Nunc morere. Ast de me divum pater atque hominum
rex
Viderit.' Hoc dicens eduxit corpore telum.

THE FAME OF POETS.

226. Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
 Exitio terras cum dabit una dies.
 Tityrus, et fruges, Aeneiaque arma legentur,
 Roma, triumphati dum caput orbis eris.
 Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
 Discentur numeri, culte Tibulle, tui.
 Gallus et Hesperii, et Gallus notus Eois,
 Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

PARIS' VOW.

227. Populus est, memini, fluviali consita ripa,
 Est in qua nostri litera scripta memor.
 Popule, vive precor, quae consita margine ripae,
 Hoc in rugoso cortice carmen habes :—
 Cum Paris Oenone poterit spirare relicta,
 Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.
 Xanthe, retro propera, versaeque recurrite lymphae,
 Sustinet Oenonen deseruisse Paris.

AMATA BESEECHES TURNUS NOT TO FIGHT.

228. At regina, nova pugnae conterrita sorte,
 Flebat, et ardentem generum moritura tenebat :
 ' Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatae
 Tangit honos animum—spes tu nunc una, senectae
 Tu requies miserae ; decus imperiumque Latini
 Te penes ; in te omnis domus inclinata recumbit—

Unum oro : desiste manum committere Teucris.
Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent : simul haec invisā relinquam
Lumina, nec generum Aenean captiva videbo.'

SPRING.

229. Omnia tunc florent : tunc est nova temporis aetas :
Et nova de gravido palmite gemma tumet :
Et modo formatis operitur frondibus arbor ;
Prodit et in summum seminis herba solum :
Et tepidum volucres concentibus aera mulcent ;
Ludit et in pratis luxuriatque pecus.
Tunc blandi soles ; ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.

ENTELLUS DEFEATS DARES IN BOXING.

230. Tum pudor incendit vires et conscia virtus,
Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra ;
Nec mora, nec requies : quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.

THE DEATH OF REMUS.

231. Augurio laeti iaciunt fundamina cives ;
Et novus exiguo tempore murus erat.
Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat ;

Sintque, Celer, curae, dixerat, ista tuae :
Neve quis aut muros aut factam vomere fossam
Transeat : audentem talia dede neci.
Quod Remus ignorans, humiles contemnere muros
Coepit, et, His populus, dicere, tutus erit?
Nec mora, transiliit. Rutro Celer occupat ausum ;
Ille premit duram sanguinolentus humum.

THE WAR WITH THE GIANTS.

232. Terra feros partus, immania monstra, gigantes
Edidit, ausuros in Iovis ire domum.
Mille manus illis dedit et pro crinibus angues ;
Atque ait, In magnos arma movete Deos.
Exstruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Iovem.
Fulmina de coeli iaculatus Iuppiter arce,
Vertit in auctores pondera vasta suos.

VERTUMNUS, GOD OF THE CHANGING YEAR.

233. O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit, verique fuit messoris imago !
Tempora saepe gerens foeno religata recenti
Desectum poterat gramen versasse videri.
Saepe manu stimulos rigida portabat, ut illum
Iurasses fessos modo disiunxisse invencos.
Falce data frondator erat vitisque putator.
Induerat scalas, lecturum poma putares.
Miles erat gladio, piscator arundine sumpta.

A HIDDEN COMMAND.

234. Hortus odoratis suberat cultissimus herbis,
Sectus humum rivo lene sonantis aquae.
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit, et virga lilia summa metit.
Nuntius ut rediit decussaue lilia duxit ;
Filius, Agnosco iussa parentis, ait.
Nec mora, principibus caesis ex urbe Gabina,
Traduntur ducibus moenia nuda suis.

POLYPHEMUS.

235. Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus
Ipsam inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, et litora nota petentem,
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen
ademptum.
Trunca manu pinus regit et vestigia firmat ;
Lanigeræ comitantur oves ; ea sola voluptas
Solamenque mali.

THE HOLY SHIELD.

236. Ecce levi scutum versatum leniter aura
Decidit. A populo clamor ad astra venit.
Tollit humo munus caesa prius ille iuvenca,
Quae dederat nulli colla premenda iugo :
Atque ancile vocat ; quod ab omni parte recisum est,

Quaque oculis spectes, angulus omnis abest.
 Tum, memor imperii sortem consistere in illo,
 Consilium multae calliditatis init.
 Plura iubet fieri simili caelata figura,
 Error ut ante oculos insidiantis eat.

ROMULUS' PRAYER.

237. Vox fuit haec regis, Condenti, Iuppiter, urbem,
 Et genitor Mavors, Vestaque mater, ades ;
 Quosque pium est adhibere Deos, advertite cuncti :
 Auspibus vobis hoc mihi surgat opus.
 Longa sit huic aetas, dominaeque potentia terrae ;
 Sitque sub hac oriens occiduusque dies.
 Ille precabatur : tonitru dedit omina laevo
 Iuppiter : et laevo fulmina missa polo.

ANTS.

238. Ac velut ingentem formicae farris acervum
 Cum populant, hiemis memores, tectoque reponunt ;
 It nigrum campis agmen, praedamque per herbas
 Convectant calle angusto ; pars grandia trudunt
 Obnixae frumenta humeris ; pars agmina cogunt
 Castigantque moras ; opere omnis semita fervet.

THE STORMING OF THE TROJAN CAMP.

239. At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
 Increpuit ; sequitur clamor, caelumque remugit.
 Accelerant acta pariter testudine Volsci ;

Et fossas implere parant et vellere vallum.
Quaerunt pars aditum, et scalis ascendere muros,
Qua rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
Omne genus Teucri ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello.

TIT FOR TAT.

240. Dicitur Aegyptos caruisse iuvantibus arva
Imbribus ; atque annos sicca fuisse novem ;
Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Iovem.
Illi Busiris, Fies Iovis hostia primus,
Inquit, et Aegypto tu dabis hospes aquam.
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torrui. Infelix imbuit auctor opus.
Iustus uterque fuit : neque enim lex aequior ulla,
Quam necis artifices arte perire sua.

THE UNTRUSTWORTHY MESSENGER.

241. Forte Iovi festum Phoebus solenne parabat :
Non faciet longas fabula nostra moras :
I, mea, dixit, avis, ne quid pia sacra moretur,
Et tenuem e vivis fontibus affer aquam.
Corvus inauratum pedibus cratera recurvis
Tollit, et acrium pervolat altus iter.
Stabat adhuc duris ficus densissima pomis ;
Tentat eam rostro : non erat apta legi.
Immemor imperii sedisse sub arbore fertur,

Dum fierent tarda dulcia poma mora.
 Iamque satur nigris longum rapit unguibus hydrum,
 Ad dominumque redit, fictaque verba refert :
 Hic mihi caussa morae, vivarum obsessor aquarum ;
 Hic tenuit fontes officiumque meum.

THE PREDICTION OF THE HARPY.

242. Quae Phoebus pater omnipotens, mihi Phoebus
 Apollo
 Praedixit, vobis Furiarum ego maxuma pando.
 Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
 Ibitis Italiam, portusque intrare licebit ;
 Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
 Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
 Ambesas subigat malis abrumpere mensas.
 Dixit, et in silvam pennis ablata refugit.

"'T WAS WHISPERED IN HEAVEN."

243. Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
 Dicere, et hinsidias Arrius insidias :
 Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
 Cum, quantum poterat, dixerat hinsidias.
 Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures ;
 Audibant eadem haec leniter et leviter ;
 Nec sibi postilla metuebant talia verba,
 Cum subito affertur nuntius horribilis,
 Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
 Iam non Ionios esse, sed Hionios.

BEES AT WORK.

244. Qualis apes aestate nova per florea rura
Exercet sub sole labor, cum gentis adultos
Educunt fetus, aut cum liquentia mella
Stipant et liquido distendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent :
Fervet opus redolentque thymo fragrantia mella.

LOVE OF WEALTH.

245. Tempore crevit amor, qui nunc est summus,
habendi :
Vix ultra, quo iam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit.

THE START FOR THE BOAT-RACE.

246. Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, unde reverti
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori ;
Cetera populea velatur fronde inventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris, intentaque brachia remis :
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido.

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
 Haud mora, prosiluire suis : ferit aethera clamor
 Nauticus ; adductis spumant freta versa lacertis.
 Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
 Convulsum remis rostrisque tridentibus aequor.

THE APPARITION OF ROMULUS.

247. Pulcher, et humano maior, trabeaque decorus,
 Romulus in media visus adesse via ;
 Et dixisse simul, Prohibe lugere Quirites,
 Ne violent lacrimis numina nostra suis ;
 Tura ferant, placentque novum pia turba Quirinum,
 Et patrias artes militiamque colant.

POLYPHEMUS TO GALATEA.

248. Candidior nivei folio, Galatea, ligustri,
 Solibus hibernis, aestiva gratior umbra,
 Saevior indomitis eadem, Galatea, iuvençis ;
 Sunt mihi, pars montis, vivo pendentia saxo
 Antra, quibus nec sol medio sentitur in aestu,
 Noc sentitur hiems : sunt poma gravantia ramos :
 Nec tibi castaneae, me coniuge, nec tibi deerunt
 Arbutei fetus : omnis tibi serviet arbos.
 Hoc pecus omne meum est ; multae quoque vallibus
 errant :
 Nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint.

DEDICATION OF THE FASTI.

249. Tempora cum caussis Latium digesta per annum,
Lapsaque sub terras orta que signa canam.
Excipe pacato, Caesar Germanice, vultu
Hoc opus, et timidæ dirige navis iter ;
Officiique levem non aversatus honorem,
In tibi devoto munere dexter ades.
Sacra recognosces Annalibus eruta priscis
Et quo sit merito quæque notata dies.
Invenies illic et festa domestica vobis :
Sæpe tibi pater est, sæpe legendus avus.

PANIC.

250. Exoritur trepidos inter discordia cives :
Urbem alii reserare iubent et pandere portas
Dardanidis, ipsumque trahunt in moenia regem ;
Arma ferunt alii et pergunt defendere muros :
Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, fumoque implevit amarò ;
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras ;
Volvitur ater odor tectis ; tum murmure caeco
Intus saxa sonant ; vacuas it fumus ad auras.

THE OBSERVERS OF THE STARS.

251. Quid vetat et stellas, ut quæque oriturque ca-
ditque

Dicere? Promissi pars sit et ista mei.
Felices animos, quibus haec cognoscere primis,
Inque domos superas scandere cura fuit!
Credibile est illos pariter vitiisque locisque
Altius humanis exseruisse caput.
Non Venus et vinum sublimia pectora fregit;
Officiumve fori militiaeve labor.
Nec levis ambitio, perfusaque gloria fuco,
Magnarumve fames sollicitavit opum.
Admovere oculis distantia sidera nostris,
Aetheraque ingenio supposuere suo.

THE DEAD SPARROW.

252. Passer mortuus est meae puellae,
Passer, deliciae meae puellae,
Quem plus illa oculis suis amabat:
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene quam puella matrem:
Non sese a gremio illius movebat,
Sed circumvolitans modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum,
Illuc unde negant redire quenquam.
At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.

OVID, UNDER SENTENCE OF EXILE, WRITES
TO AUGUSTUS.


253. His precor exemplis tua nunc, mitissime Caesar,
Fiat ab ingenio mollior ira meo.
Illa quidem iusta est, nec me meruisse negabo.
Non adeo nostro fugit ab ore pudor.
Sed, nisi peccassem, quid tu concedere posses?
Materiam veniae sors tibi nostra dedit.
Si, quoties homines peccant, sua fulmina mittat
Iuppiter; exiguo tempore inermis erit.


THE DEATH OF CAMILLA.


254. Illa manu moriens telum trahit; ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
Labitur exsanguis; labuntur frigida leto
Lumina; purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex aequalibus unam,
Alloquitur, fida ante alias quae sola Camillae,
Quicum partiri curas; atque haec ita fatur:
'Hactenus, Acca soror, potui; nunc vulnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, et haec Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnae Troianosque arceat urbe.
Iamque vale.' Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paullatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum leto posuit caput, arma relinquens,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

ADDRESS TO IANUS.

255. Iane biceps, anni tacite labentis origo,
Solutus de superis qui tua terga vides :
Dexter ades ducibus, quorum secunda labore
Otia terra ferax, otia pontus agit
Dexter ades Patribusque tuis populoque Quirini,
Et resera nutu candida templa tuo.
Prospera lux oritur : linguisque animisque favete.
Nunc dicenda bono sunt bono verba die.







BY GEORGE L. BENNETT, M.A.

Head Master of Sutton Valence School.

FIRST LATIN WRITER. Comprising Accidence, the Easier Rules of Syntax, illustrated by Copious Examples and Progressive Exercises in Elementary Latin Prose. With Vocabularye. 3s. 6d.

FIRST LATIN EXERCISES. Being the Exercises, with Syntax Rules and Vocabularye, from a "First Latin Writer," 2s. 6d.

LATIN ACCIDENCE. From a "First Latin Writer." 1s. 6d.

SECOND LATIN WRITER. 3s. 6d.

EASY LATIN STORIES FOR BEGINNERS. With Vocabulary and Notes. 2s. 6d.

SECOND LATIN READING BOOK. Forming a continuation of 'Easy Latin Stories for Beginners.' 2s. 6d.

SELECTIONS FROM CAESAR. THE GALLIC WAR. With Preface, Life of Caesar. Text, Notes, Geographical and Biographical Index, and Map of Gaul. 2s.

SELECTIONS FROM THE AENEID OF VERGIL. With Introduction, Notes, etc. 1s. 6d.